

Et pedibus tardæ comitantes mollibus Horæ,
Indeque Amaltheæ prætendens florida cornu
Flora jacet varios sed dextrâ divite flores.
Ponè subit Ceres alma jugis supponere tauros
Quæ docet, & curvo terram proscindere aratro,
Et quæ læta sinus gestat Pomona refertos,
Nec nemorum deerat cultrix Latonia virgo
Grandia præfixo portans venabula ferro,
Atque animare studens lætus sua tympana Liber,
Quem sequitur torto quæ concitat orgia thyrsos
Thyas, & Ogygiæ furibundæ pectora matres,
Et reliqui innumero qui currunt agmine Divi
Omnes Idaliâ redimiti tempora myrto,
Omnes & manibus soliti prætendere myrtum,
Victricique DEÆ lingvisque animisque faventes,
Et celebrem annexi studio decorare triumphum,

Hos inter medius cunctis ridentibus unus
Discurrens lasciva serit dicteria Divis,
Lampfacides Deus ille salax, nifallor, amictus
Talarem vestem, resonis nitidusque armillis
Publicus & varios præbet ceu sannio ludos.

Hæc ego cum partes totus dispensor in omnes
Cernendo, pompæ solemnia singula lustrans,
Perdiderat jam cura animum, mihi raptus & extra
Me, sentire oculis jam somnia nuda videbar.
Interea lætos exaudio surgere cantus
Rite triumphali deductum carmine plausum.

Sime-